





26.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**VTERI CONNEXIONE**  
**CVM MAMMIS**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
INDVLTV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
ET  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
D. XVI. APRIL. A. S. R. CLOCCCLIII.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

**GOTTHARD WILHELM REICHART**  
LIVONO-RIGENSIS.

HÄLAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.







§. I.

Utero, qui hominibus ferendis ordinatus est & fabricatus, amicitiam cum mammis esse, quantumvis haud mutuam, satis tamen arctam fidamque, non facile cuiquam dubium videbitur, animum qui modo curatius ad ea attenderit, quae virginibus nubibus, menstruam sanguinis purgationem primitus experientibus; aut foeminis natu grandioribus, iamque compluries sanguine per menstrua exsolutionis, si viro concubuerint ex eoque conceperint; aut puerperis etiam, partu feliciter levatis, triduo circiter vel quadruplo ab enixu, solenniter evenire observantur. Deprehendimus enim sensuum fide & testimonio, huiusmodi mulieribus, hoc temporis mammae insigniter undique intumescere inque conspectiorem molem distendi, quid? quod lactis quan-

tacunque copia impleri, quin subinde ita inundari, ut haud insolenter sua sponte papillis elabatur, vel certe vix ullo negotio per eas exurgeri queat. Quoniam itaque mihi deliberatum est & constitutum, hac diatribe istud consortium, quod mammis cum matrice est, illustriore declaratione omnium oculis & mentibus, quam maxima potero brevitate, subiicere, mihi cum utile, tum maxime necesse erit, aliquibus duntaxat observatis & rerum testimoniis perspicuum facere & testatum, mammas revera in calamitatis societatem abripi, utero si quid adversi evenerit; quo perspecto, conveniet etiam disquirere, quibus itineribus, an nervorum, an vero vasorum nexibus, ab hoc varia damna ipsis subinde venire soleant; cui denique subiectendum erit, qua ratione in maius augescant & dulci lacte repleantur?

## §. II.

Quod puellis pubescentibus, simul atque aetate accreverint usque eo, ut viro maturae sint, & muliebrem fluxum experiantur, mammae aequis utrinque umeribus diffendantur, tam vulgaris est experientiae, ut multis, illius hec meminisse, supervacaneum videri possit, nemine existente, qui hoc in dubium incertumque vocare unquam sustinuerit. Frustra igitur operam sumerem, pluribus testibus id hoc loco planum facturus, quod nemo dubitat. Si quis autem nihilo feciis huius veritatis probandae documenta a nobis efflagitaturus esset, ei adire

SALTZ-



SALTZMANVM *a)* suadeo & BOERHAAVIVM *b)*,  
ubi id planissimis verbis notatum inveniet. Mulie-  
ribus autem quoque viro nuptis ex eoque gravida,  
tis, aut vetito & furtivo concubitu ex viro foecun-  
datis, mammae, brevi a conceptione, in maiorem  
molem attolli ac doloris, nunc acerbioris, nunc re-  
missioris, sensu affici, historiarum & observationum  
monumenta loquuntur. *Franc.* enim MAURICEAV,  
de signis factae conceptionis differens, numero eo-  
rum, praeter cetera, hoc loco enarrari non necessa-  
ria, unde de perpetrata feliciter ingravidatione no-  
bis certum sit, mammarum a concubitu habet incre-  
menta, cum quodam dolore & duritie coniuncta *c)*;  
cui nec adversum tenet *Petr. DIONIS*, itidem earum  
distensiones maiores inter signa consecutae felicis  
conceptionis declarans *d)*, a quibus nec multum  
diffider *van SOLINGEN e)*. Concinit quoque cum  
his BOERHAAVIVS, similiter contendens, ingravida-  
tis sensim mammae, a peracto foecundo coitu, in  
maius augescere *f)*. Tametsi vero haud equidem  
abnuam, foeminis, si conceperint, mammae omnino

A 3 iam

*a)* Dissert. de aetatibus vitae humanae & mutationibus in iis  
contingentibus, Cap II. §. X.

*b)* Institut. medic. §. 66§.

*c)* Traité des maladies des femmes grosses, Tom. I. Chap. III.  
& Chap. XIV.

*d)* Tract. von Erzeugung und Geburth der Menschen, Lib.I.  
Cap. VIII. & Lib. II. Cap. I.

*e)* Vom Amt und Pflicht der Wehmütter Cap. I.

*f)* Praelect. academ. in Institution. medicin. §. DCXC.

iam primis gestationis mensibus increscere ac dolere: certum tamen est , matrice ab incluso foetu in dies magis dispansâ inque omnes dimensiones dilatata , ipsas quoque mammae , ultimis graviditatis mensibus, pedetentim in longe spæctatiorem assurgere molem : id quod vel inde cuivis satis liquebit, quia ultimis hisce mensibus, velut septimo, octavo & nono, plerumque lactis quantuscunque provenitus in mammis iam appareat g).

### §. III.

Quantum utero cum mammis sit commercium, id vel inde cuilibet manifestissimum erit , quod haud raro foeminis illibatis , nec dum virum experitis, mammae extumescant inque maius angefcant, earum menstruis vel omnino supprexis, vel certe parcius minutiusque, quam pro valetudinis prosperitate , per matricis sinum exundantibus ; quibus quoquomodo revocatis, & rite ac legitime rursum fluentibus & succendentibus, inflatae mammae & tumidae detumescere, pristinamque suam magnitudinem recuperare animadvertuntur. Id quod etiam Medicorum Parens iam satis perspexisse videatur , haud obscure tradens : *Si mulieri, neque prægnanti, neque puerperae, lac in mammis fuerit, ei menses desunt h).* LOMMIVS quoque Auctor est, mammae

g) DIONIS l. c. Libr. II. Cap.I. Eph. Nat. Curios. Dec. II. Ann. II. Obs. 99. & MANNINGHAM Compend. artis obſetric.

p. 49. & p. 53.  
h) Aphorism. Sect. V. n. 39.

mas eiusmodi mulieribus extenuari mensibus eis fluentibus, vel sanguine nimia copia ex uteri interioribus emicante i).

§. IV.

Inhibitus quoque aut plane suppressus ille sanguinis fluxus, quo puerperae ab enixu expurgantur, documento esse nobis potest clarissimo, quam arctis nexibus muliebria mammis sint adnexa atque illigata. Est enim vulgaris notitiae atque experientiae, foeminis, partum enixis, die tertio quarto post, lochiorum fluxum perquam imminui atque adeo consistere; mammis, interea temporis, in molem longe conspicuorem surgentibus distentisque, ac plurimas dolorum acerbitates sustinentibus, quibus *febris*, modo mitior, modo intensior, se adiungit sociam, quae *laetitia* nomen ideo a Medicorum filiis obtinuit<sup>1)</sup>: de qua qui plura scire cupiat, ei doctissimam illam, quam Excell. & Experientiss. BOEHMERVS, Praeceptor ac Patronus aeternum mihi devenerandus, publici iuris fecit, Dissertationem commendo perlegendam <sup>2)</sup>. Uberibus vero utrisque iam usque eo dilataris & comparatis, ut quantaecunque lactis copiae aditus iam, per ductus eorum galactophoros, ad papillam pateat, lochia puerperis redire atque, ut antea, ex pudendis emanare deprehendimus.

§. V.

<sup>1)</sup> Observ. Lib. II. & Ephem. Nat. Curios. Decur. II. Ann. IV.

Observ. 154.

<sup>2)</sup> BOERHAAVE Praelect. academ. in Institut. §. DCLXXXVII.

<sup>3)</sup> Dissertat. de febre laetitia puerarum.

## §. V.

Ipsum quoque HIPPOCRATEM hunc mammarum cum muliebribus consensum haud ignorasse, vel ex eo liquide appetere, quod planis verbis ostendit, quemadmodum cucurbitulis, utriusque mammae affixis, menstruus sanguinis fluxus, si modum excederit, inhiberi possit: namque, *mulieri*, inquit, *si menstrua velis cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas appone n*): quia hoc pacto sanguis, uteri vasorum alveos inundans, indidem ad mammas reflectitur. Hisce proinde observatis iam satis superque me arbitror fecisse cuivis testatum, magnam omnino matrici cum mammis intercedere confessionem & conspirationem; siquidem his ab illa plurimae & gravissimae noxae haud insolenter oriri & possunt, & solent. Iam igitur in eo est, ut paucis quoque eas vias percurramus, quae ab arvo genitali ad mammas ferunt; quippe quibus perspectis, promptissimum erit cognoscere, qua ratione loci muliebres, si vel adversissima quaeque eis acciderint, mammas in calamitatis societatem trahere valeant?

## §. VI.

Quod igitur ad *matricem* attinet, eam non sane ullis aliis nexibus, nisi *vasorum*, cum *mammis* coniungi videmus & copulari: nervi enim, qui utero prospiciunt, & a lumborum & ossis sacri nervis, ut & a plexu hypogastrico & intercostali, inferiori seu posteriori enascuntur, nullum, nec minimum qui-

<sup>n)</sup> Sect. V. Aphorism. 50.

dem surculum mammis inserunt, quippe quae suas nerveas propagines ab intercostalibus, ex medulla spinali emergentibus, potissimum petunt o). Quo igitur hi vasorum nexus, quibus muliebria & ubera coniunguntur inter se & vinciuntur, clarius pernotescant, utpote quibus omnis amicitiae & sympathiae, quae hisce partibus, alteri cum altera est, cardo nititur, non minus expediet, quam necesse erit, haec vasorum vincula, quae *vasa epigastrica* sunt & *mammaria*, brevi perpendamus.

§. VII.

Vasorum alveos, qui arvum muliebre irrigant, atque innumerabilibus ramis, admodum flexuosis & tortuosis, per illud feruntur, si a spermaticis vasis, pariter uterum alluentibus, discesseris, ab iliacis aortae interioribus ramis exoriri conspicimus: vasa autem epigastrica a confinibus sive conterminis iliacis exterioribus, iam sub ligamento **FALLOPII** abdominis cavo exituris, natales suos utrinque ducent p). Arteria enim, *epigastrica* quae cieri solet, ex iliaca exteriore emergens & oblique sursum atque introsum reflexa, suo quaque in latere, ad aversam seu posticam musculorum abdominis superficiem fertur, per quam iter suum confidere pergit ad usque umbilicum, vel paulo altius ascendit, ubi in complures se diffundit ramos, conspectiores

B fane,

o) WINSLOW Exposit. anatom. de la structure du corps humain Tom. IV. Traité de la poitrine §. 23.

p) Idem ibid. Traité des artères §. 233.

sane, quam nonnullis Medentium persuasum est, qui cum ultimis arteriarum mammariarum internarum propaginibus, mutua anastomosi, coēunt q). Vena autem, eiusdem cognominis, dictam nunc arteriam individuo comitatu affectans, similiter ex ramis iliacis venae cavae exterioribus, nunc abdomine excessuris, suborta, eandem dictorum musculorum faciem concendet & perreptat posteriorem, ubi itidem in plures surculos diffissa, cum occurrentibus ipsi mammariae internae ramulis *ἀνεύρως* connectitur r). Non satis ergo mirari possum, esse etiamnum, qui, epigastrica cum mammariis mutuis orificiis coire, omnino negant, quum tamen hae anastomoses, sensuum fide & testimonio, sese ab omnium reclamatione satis tueantur.

## §. VIII.

Namque Vir corporum secundorum peritia, quum viveret, nemini secundus, beatus CASSEBOHMIVS, mutuas horum vasorum inosculationes, in theatro anatomico, auditorum suorum oculis compluries spectandas obiecisse scribitur s). Cui etiam dignissimus eius successor, Excellentiss. BOEHMERVS suffragatur, ut qui easdem, lectionibus suis anatomicis, omnium oculis aliquoties clarissime conspicendas exhibuit. Sunt enim tam clarae, tam perspi-

q) WINSLOW Libr. cit. Tom III. *Traité des arteres* §. 233.

r) Idem eodem Tom. *Traité des veines* §. 172. & Tom. IV. *Traité de la poitrine* §. 22. & 23.

s) Anatom. Libr. I. Cap. IV. p. 55. Tabul. V. lit. l.l. & Libr. II. Cap. I. p. 327. & Libell. I. Cap. VI. p. 638.

perspicuae atque exploratae, ut frustra esset, qui testimoniū nubem in huius veritatis, hodie omnium fere Anatomicorum confessione comprobatae, fidem vocaret. Ne vero haec tantummodo dicis causa, nullius auctoritatibus subnixus, dixisse videar aut forte arguar; non abs re erit, nec ab instituto nostro alienum, nostrae assertionis testificandae, aliquos duntaxat in medium adducere, qui una mente in eo consentiunt, vasa epigastrica cum mammariis internis inter se mutua inosculatione connecti. Primus prodeat *Thom. BARTHOLINVS*, diserte tradens, tum arterias, tum venas epigastricas cum mammariis, manifestis anastomosis, inter se coniungi t). Cui alter testis succedit *Casp. BAVHINVVS*, itidem planis verbis ostendens, nominata haec vasa se mutuis orificiis excipere u). Quibus nec alii luculentī rei anatomicae Scriptores, velut *EVSTACHIVS v), CASSERIVS x), VERHEYENVS y), NVCKIVS z)*, *HALLERVS a), GARENGEOT b)*, cetera, abludunt, quorum omnino possem longe maiorem numerum recensere, si usus esset. Ne igitur

B 2 epiga-

t) Vid. *BOEHMERT* Dissert. de febre lact. puerp. §. XXVIII.

u) *Theatr. anatom.* Libr. I. Cap. XX. p. 144. & Libr. II. Cap. XVIII. Tab. VII. litt. L. L. ΓΓ.

v) *Tabul. anatom.* Tab. XXVII. f. 12.

x) Lib. IV. Tab. XI.

y) *Anatom. Tract.* III. Cap. I.

z) *Adenograph.* P. II.

a) In not. in *BOERHAAVI* Praelect. acadēm. Institut. medic. Tom. V. Part. II. not. a. in § DCLXVI.

b) *Splanchnol.* Part. I. Cap. V. §. 82. Tabul. IV. lit. C. D. F.

epigastricis vasis designandis diutius, quam par est, immoremur, ea missuri ad illos quoque sanguinis rivos, qui mammas rigant, ingrediemur contemplandos.

§. IX.

Quod igitur ad illos sanguiferos attinet tubulos, qui mammis de sanguineo latice prospiciunt, eos diversae esse originis adverimus: quidam enim a vasibus subclaviis ad mammas ducuntur; alii vero ab axillaribus eodem pertingunt. Ili nomine *vasorum mammaliorum*: hi vero *thoracicorum* cieri in Anatomicorum scholis assolent. WINSLOVIVS vero cuncta haec vasa, quae mammas vitalibus liquidis perlungunt, iustiore ratione distinxit in *externas & internas mammarias* c). Arteria igitur, *mammaria interna* quae appellatur, ea, utrobique ex subclavia egerminans, deorsum pergit, sub segmentis costarum descendendo cartilagineis, ubi ossi sterno adnata conspiciuntur, ad usque superiora musculorum abdominis rectorum: quo itinere, quod per thoracis interiora facit, varios ex se generat ramos, quos singulos singulis quibusque costarum intervallis, RVYSCHIO Auctore, inserit, cum arteriis intercostalibus, frequentibus admodum orificiis, coenentes d). Praeter hosce, propagines insuper etiam quasdam alias aliis tum in thorace reconditis, tum ei extrinsecus instratis, partibus committit, quas hec enumerare nihil attinet: Ipse vero mammariae truncus

c) loc. cit. §. 88. 123.

d) Epist. problem. secund. ad Gaubium Tabul. II. figur. 3.

truncus ad costam circiter sextam veram si adspira-  
verit, in binos ut plurimum conspicuae magnitudi-  
nis dehiscit ramos, interiorem atque exteriorem.  
Ille, a latere cartilaginis mucronatae, seu xiphoi-  
dis, ex thoracis cavo emergens, ad posticam mu-  
sculi recti superficiem contendit, ubi in complures  
furculos diffusus, extremis surculis arteriae epiga-  
stricae, mutua inosculatione, coalescit e): hic vero  
mammis aliisque earum moli subiacentibus parti-  
bus, aut integumentis exterioribus, distribuitur, ubi  
cum ultimis mammariarum externalum furculis, si-  
militer frequentibus anastomosibus coniungitur f).

§. X.

Perspecta igitur interna mammaria, quoad id  
fieri nobis necesse fuit, ipsae quoque *externae mam-  
mariae*, usitatis alias *thoracicae* Anatomes cultori-  
bus dictae, nunc breviter veniunt expendendae.  
*Arteria* itaque *thoracica superior*, in quam potissimum  
ac praecipue cognomen *mammariae externae* conve-  
nit, ex axillari utrobique enata, indidem, suo quae-  
que in latere, valde flexuosa, serpentis, lubrica ter-  
ga convolventis, ritu, per thoracis latera defertur  
ad mammae; qua via, dum musculum pectorale  
supermeat, varios exsertos ramos vicinis musculis,  
velut pectoralibus maiori & minori, serrato maiori  
antico, coraco-brachiali & latissimo dorsi inserit.  
Ipse vero truncus deorsum pergens, inque complu-

B 3 res

e) WINSLOW Libr. cit. Tom. III. *Traité des arteres* §. 90.

f) Idem cod. loco, & Tom. IV. *Traité de la poitrine* §. 23.

res surculos fatiscens, mammae subeundo, earum pinguedini & cuti exteriori omnium maxime propicit g). Extremi huius arteriae rami ultimas mammariae internae propagines, ipsi in mammis obviam eentes, mutuis anastomosibus excipiunt b); quemadmodum id iam paulo ante dictum fuit. *Arteria vero, inferior thoracica* quae audit, quum non ad mammae, sed ad diversos musculos, hoc loco recensiari haud necessarios, excurrat, ad nos non pertinet, utpote duntaxat de iis vasorum alveis expedituros, qui mammarum substantiam interluunt. Quo nomine de iis heic differere supervacaneum foret.

### §. XI.

Perlustratis itaque istis arteriis, quae vitalem laticem mammis adferunt; expediet quoque illas earum *venas*, quam brevissime, percurrere, quae sanguinem inde receptum reducunt, marique microcosmico refundunt. Venae igitur epigastricae, quae arteriis eiusdem nominis toto itinere comites haerent, item, ut sociae arteriae, ab iliacis venae cavae externis profectae, musculos rectos adeunt, perque posteriorem eorum faciem ascendendo, ad umbilicum usque vel paulo altius pergunt, ubi in permultos explicantur ramos, qui tortidem surculis venae mammariae internae, ipsis hic loci occurrentibus, mutua anastomosi implicantur & coeunt, perinde

<sup>231</sup> g) *de HALLER* Libr. & loc. adduct.

b) *WINSLOW* Traité des arter. §. 90. *GÜNTZIUS* de mammis pag. 20.

inde ac de arteriis, supra iam traditis, constat *i*). Quod vero ad *venas internas mammarias* attinet, dextra mammaria natales suos ab ipso venae cavae superioris trunco *l*) ducere spectatur: sinistra autem ex subclavia laeva pullulat *m*), unde utrobique deorsum delatae, & suis, eiusdem cognominis, arteriis associatae, sub costarum cartilagini, ubi pectoris ossi seu sterno iunctae sunt, decurrent. Quo itinere itidem, ut cognomines arteriae, multas per spatio media costarum cartilaginearum emittunt propagines, cum sibi obviis intercostalibus venis mutua inosculatione coalescentes; praeter eas vero ipsis quoque mammis de copiosis ramis venosis prospiciunt. Reliqui, in quos mammariae internae se explicant, rami, thoracis cavitate, intra ensiformem cartilaginem & segmenta verarum costarum cartilaginea, exentes, ad partem rectorum muscularum posticam iter suum pergunt, ubi sensim in alios minores ramos diffissi, extremis venae epigastricae surculis, e regione umbilici, mutuis orificiis connectuntur atque inolescunt *n*).

§. XII.

Tandem nec illae venae, sanguinem a mammis  
rece-

*i)* Thom. BARTHOLIN. Libr. & loc. citat. Caspar. BAVHINVS  
Libr. alleg. loc. cit. WINSLOW Tr. des veines. §. 171. 172.

*D*) WINSLOW ibid. §. 59.

*m)* Idem eod. T. §. 61.

*n)* Th. BARTHOLINV loc. cit. Casp. BAVHINVS Libr. laudat.  
Libr. II. Cap. IV. p. 338. & Cap. XVIII. p. 397. WINSLOW  
loc. iam citat. GARENGEOT Libr. & loc. cit. Tab. IV. lit. C.



receptum, in axillarem truncum revehentes, quae *mammariae externae* cognominari, alias vero, cognomine receptioni, *thoracicae* appellari solent, nobis sunt silentio praetereundae. Externa igitur mammaria seu thoracica superior, ex vena axillari progerminans, seque sociam arteriae thoracicae superiori & comitem adiungens, indidem utrinque a thoracis latere, aequo flexuoso itinere, atque cognominis arteria, ad mammas pergit, ubi similiter in frequentes ramusculos passa, in exteriores potissimum partes, velut pinguitudinem & cutim, mammam operientes, distribuitur o). De thoracica inferiore, utpote ad nos haud spectante, quum mammis nullos impendat ramulos, nec insuper seorsum semper ex axillari, perinde atque concomitans eam arteria, pullulet, heic dicere nihil attinet. De *nervorum* denique vinculis, quum omnino nulli ab ute-ro ad mammae pertingant, neque ulli ex his ad illum pertineant, nihil habeo, quod dicam. Ex his proinde iam in medium prolatis unicuique spectatissimum fore censeo, commercium illud, quod muliebribus esse cum mammis, sensuum fide deprehenditur, omnino non per nervorum nexus, sed solummodo per *vasorum* copulationes, modo naturae rei & fanae rationi convenienti, explicari posse. Quoniam vero non reperiuntur ulla alia vasā, praeter epigastrica & mammaria interna, quibus muliebria & mammae inter se vincuntur arctissime; nihil quoque

o) *Casp. BAVHINVS* Libr. cit. L. II. Cap. XVIII. p. 398. *WINS-*  
*LOW* Tract. citat. §. 120.

quoque dubii relinquitur, quin matrix, utcunque insigniter mutata vel graviter affecta, per has vias, mammis itidem varias nec sane leves mutationes persaepe sit iniecta.

§. XIII.

Hinc quoque est, quod vel optimi & antiquissimi quique Medentium, iam antiquitus hunc uteri cum mammis consensum, beneficio commemoratorum vasorum, mutua anastomosi iunctorum, fieri contenderint. HIPPOCRATEM enim hunc consensum locorum muliebrium cum mammis non ignorasse, vel inde apparet, quod, teste BAVHINO, docuerit, lac ab utero ad mammas accedere, quod post partum infanti in alimentum esset cessurum. Cui etiam assentitur GALEVS, itidem hanc consensionem per dicta vasa peragi, statuens p). Nec dissentient ab illis innumeri alii, doctrina & scientia medendi facile principes, ex quibus duntaxat in medium adducere libet Thom. BARTHOLINV M, de hac epigastricorum & mammariorum coniunctione verbis tradentem testatissimis: *His (mammariis nimirum venis) obviam veniunt aliae ascendentes, per rectos musculos, de quibus supra: ut nimirum mammae cum utero consensum habeant: unde, nato infante, sanguis non amplius ad uterum, sed ad mammas fertur, & in lac vertitur. Hinc etiam lactantes raro mensum fluxum agnoscunt. Hinc aliquando puelli in nimia suctione sanguis exit per mammas. Immo*

C

animad-

p) de Differ. venar. & arter. Cap. VIII.

*animadversum est, menstrua fluxisse per mammillas,  
& lac per uterum q).*

## §. XIV.

In eandem quoque sententiam loquitur *Casp. BAVHINVS*, plane & perspicue prodens: *Per haec ergo vasa (mammaria videlicet & epigastrica) fit consensus utero cum mammis, (Et quidem tanta sympathia, ut contrectatae libidinem excitent) quum per haec vasa coniungi necessè fuerit, cetera r).* Et alibi hanc confessionem uteri & conspirationem cum mammis, per istas epigastricorum & mammariorum anastomosés, inde probatum ivit: *quod nutricibus lactantibus, si menses erumpant, lac deficit, mammae gracilescunt: si vero menses cohibeantur, mammae late turgent s).* Neque desunt quam plurimi recentiorum, qui uterum cum mammis, per dictorum vasorum copulationem, concinere & communicare, itidem constanter asserunt: satis mihi erit ex tanto eorum numero, quos in fidem vocare possem, duntaxat *BOER HAAVIVM* citasse testem, qua verissimis, qua planissimis verbis ostendentem: *Post RIOLANVM, NVCKIUS, repletis vasis, reperit, omnino has anastomoses vere adesse. Ob istam anastomosin, Et ob similem in mammis laxitatem, fit celebris ille uteri cum mammis consensus. Quo enim semel natura viam sibi aperuit, eo perpetuo redit, ut quasi per consuetudinem omni mense sanguinem per loca genitalia excernere*

q) Libr. cit. Libr. II. Cap. I. p. 327.

r) Libr. adduct. Libr. II. Cap. IV. p. 338.

s) Eod. Libr. Libr. I. Cap. VIII. p. 59.

nere cogatur. Hinc sit, ut in neutrum horum vasorum, uterinorum aut mammariorum, vis sanguinis venire possit, quin simul in alterum pariter ingruat. Inde omni foeminae, quinque ante diebus, quam menses patiatur, mammae turgent, maxime vero eo die, quo menses prodibunt. Postquam autem menses deserunt fluere, concidunt eadem ad priorem gracilatem, post tertiam septimanam denuo in tumorem rediturae t). An hoc testimonio, de muliebrium cum mammis consensione, quicquam clarius, illustrius testatusque unquam esse queat, plane dubito; quo nomine, & tempus, & operam frustra contriturus ego mihi videor, plura aliorum, de hac arctissima harum partium, vasorum vinculis, connexione & consensione, testimonia hoc loco in medium allatus.

§. XV.

Idem quoque incomparabilis hic vir, non mulieres solum, si menstrua iis iam imminent atque instant, vel etiam ineunt & fluunt, eiusmodi mammarum inflationibus tentari & occupari, testatum facit; sed ipsas quoque ingravidatas eadem mammarum incomoda & mala persentiscere, menstruis a sua fluxione feriantibus. Praeclare enim inquit: Sed gravidis etiam post retentos menses mammae turgent, & post partum maxime. Quamprimum concepit foemina, uterus clauditur; tunc sanguis, repulsus ab utero, in mammas venit. In partu depletur uterus,

C 2

tunc

t) Praelec. academ. Tom. & Part. citat. §. DCLXVI. & Instit. medie. §. 666.

*tunc mammae concidunt, sed brevi intervalllo contrahitur uterus, tunc autem mammae lacte rigent u).*  
 An vero mutuus consensus hisce partibus, foetui concipiendo, fovendo, & post exclusionem nutriendo fabricatis & destinatis, alteri cum altera, intercedat, quemadmodum id BOERHAAVIUS voluerit, *praeterea uterus, inquiens, & mammae reciproce consentiunt: quod enim per gestationem ad uterum confluit, id a partu ad mammas vergit; & lac sequitur secundo tertiove die.* Quae foeminae menses nunc patientur, iis mammae tument: quamprimum menses fluunt, flaccescunt mammae & collabuntur: quum de iis nihil habeam, quod satis liqueat, id affirmare non sustineo; quia hic locorum muliebrium cum mammillis consensus haudquaquam nervorum, sed duntaxat vasorum sanguiferorum nexu efficitur; nisi forte quis contenderit, hanc harum partium esse confessionem eiusmodi, cuiusmodi esse inter vas haemorrhoidalia externa & interna deprehendimus x): haud enim rarum quicquam & insolitum est, haemorrhoides internas, si fuerint suppressae, subinde in externas transire y); non sane ulla alia causa, quam quod haemorrhoidalia vasa externa cum internis, in ani limbo seu ora, mutuis orificiis conglutinantur. Sed haec tenus satis dixisse mihi

x) Idem eod. loc.

x) WINSLOW Tr. des veines, §. 183. & Tom. IV. Tr. du bas-ventre, §. 238. 239.

y) IVNCERVS Conspect. Medicin. theoret. practic. Tab. XI. num. VI. II.

mihi videor de arctissima ista vasorum epigastricorum cum mammariis internis connexione. Restat igitur, ut paucis quoque expediamus, qua tandem ratione sanguis, ab utero undecunque vehementer mutato seu spasmis constricto, per commemorata epigastrica & mammaria vasa, ad mammae repelli seu retrudi, easdemque in conspectiorem molem extollere queat.

### §. XVI.

Ante vero, quam ad ipsam hanc rem exponendam ingrediār, haec benevolo Lectori praeciēienda videntur, ne existimet, nos statuere, ipsum illum latēum laticem, qui gestationis tempore in mammis iam apparet, & longe copiosius ultimis graviditatis mensibus in iisdem secernitur, copiosissime autem, triduo quatriduove a partu, in iis sequestratur, a matrice per nominatos vasorum alveos transferri ad mammārum promptuaria, ut veterum pluribus perperam persuasam fuit; sed ipsos suscipere, eum ex sanguinis massā, tanquam communī omnium humano in corpore secernendorum fonte, emanare, & per arterias, mammariam internam atque externam, affluere atque illabi ad mammae, quae sententia etiam plerorumque est recentium Medicorum, ex quibus testem citare liceat Illustrēm de HALLER, qui, de mammariae & epigastricae anastomosis loquens, verum, ait, *an ideo lactis materia ab utero ad mammae determinari possit, in gravidis & pueris, & lactantibus, quibus plerumque mensē defunt; aut a mammae ad uterum, uti sit, quando lochia*

C 3      *mammis*

*mamm̄as lacte exhauriunt, id quidem non dixerim' z).*  
 Tametsi enim lubens concedam, purpureum lati-  
 cem ab utero utique redundare ad mamm̄as, eo post  
 foetus exclusionem ad nativam sui magnitudinem  
 redeunte, aut spasticis etiam motibus affecto; nego  
 tamen quicquam lactis a matrice ad mammillas ideo  
 unquam transferri posse, muliebribus ipsis eo ca-  
 rentibus, quod mammis impertire creduntur & di-  
 cuntur.

## §. XVII.

Quo autem clarius eluceat, quare vitalia liqui-  
 da in gravidis & puerperis, quin etiam in iis mulie-  
 ribus, quibus menstrua uteri purgatio vel nimium  
 imminuta est, vel omnino suppressa, a matrice co-  
 piosius & uberius, per epigastrica vasa in mamma-  
 ria, hacque via in ipsas mamm̄as refluant & redun-  
 dent, operae pretium erit quasdam leges mechani-  
 co-hydraulicas dicendis praestruere, quia omnis  
 regurgitationis cardo in iis potissimum vertitur.  
 Prima haec est: Ubi liquidis, in motum profluum  
 agitatis, minor seu languidior obiicitur resistentia,  
 eodem semper impetu maiori ruunt. Altera vero  
 est: Uno canarium, inter se communicantium, coan-  
 gustato aut plane obstructo, liquidum quoque, il-  
 lum permeare & transire solitum, ad alios, minus  
 resistentes, vel satis apertos ac pervios ductus affluat  
 & illabatur, necesse est. Tertia tandem: Canales fle-  
 xibiles, cuiusmodi corporis humani vasa sanguifera  
 sunt,

z) Praelect. academ. BOERHAAVII Tom. & Part. adduct. not. a.  
 in §. DCLXVI.



sunt, si nimis multum & praeter modum in longitudinem distenduntur, tanto semper angustiores evadunt, quanto magis in longum extendi solent.

§. XVIII.

Hisce igitur hydraulicis principiis innititur omnis consensus ratio, qui muliebria inter & mammas animadvertisit: iis enim aequa animi lance perpensis & sobrie ad corpus humanum applicatis, fatis expeditum erit & facile rationem reddere, cur foeminis gravidatis & uterum ferentibus, aut mensium suorum iacturam facientibus, cetera, mammae maiore sanguinis vi & mole inundentur atque ingrandescant? Quae quo omnium oculis clarius velut spectanda & arbitranda obiciamus, non alienum erit nonnulla duntaxat delibare exempla earum, quae ex viro gravidatae fuerint; aut quibus menstrua, vel aegrius solito & iusto fluxerint, vel omnino constiterint: quia alias haec videri possent obscuriora sine exemplorum appositione.

§. XIX.

Supra iam inter signa conceptionis mammorum incrementa, cum duritia quadam & quopiam doloris sensu coniuncta, declarare nullus dubitavi; tot tamque peritiissimis ostetricandi artis, atque exercitatiissimis Viris nobis hac in re praeluentibus: innui vero simul verbis haud sane obscuris, eas procedente gestatione & foetu ingrandescente, sensim sensimque altius exire atque in conspectiorem molem surgere, idque omnium maxime & frequentissime ultimis



ultimis graviditatis mensibus, partu iam appropin-  
quante & imminente, gravidis evenire deprehendi.  
Cuius causam si quis ex me fuerit sciscitatus, ei quod  
respondeam, nihil aliud habeo, quam quod, facta  
conceptione, uterus, in concubitu summae volupta-  
tis illecebris affectus & percitus, huiusmodi mulie-  
ribus claudatur, sicque sanguis, uniuscuiusque men-  
sis curriculo per pudoris finum iisdem exundare so-  
litus, nunc in corpore refineatur, utpote foetui nu-  
triendo insumentus. Verum quum hic, primis ge-  
stationis mensibus, usque adeo parvus sit atque exi-  
guus, ut vix minima istius remanentis in corpore  
sanguinis parte ad sui nutritionem egeat; neque  
ipsius matris, pariter adhuc parvae insuperque  
constrictae, vasa tantam sanguinis vim capere, atque  
satis expedite volvere valeant; quisque facile per-  
spiciet, vitalibus liquidis, quum eis expeditum &  
facile iter per commemorata vasa non pateat, de  
pristica sua via esse defiectendum, maioreque copia  
nunc ad vicinos & uterinis vasis maxime contermi-  
nos vasorum alveos redundandum.

### §. XX.

Verum enim vero quum hypogastricis vasis,  
quae matrici de sanguineo liquido potissime prospic-  
ciunt, iliaca externa quam proxime adiaceant, ex  
quisbus hic loci utrobique epigastrici rami, qui re-  
ctos abdominis petunt musculos, egerminant; li-  
quido cuivis apparebit, esse futurum, ut sanguis, ab  
utero repulsus atque ab eius aditu exclusus, nunc  
cuncta

cuncta haec propinqua matrici & finitima vasa inundet copiosius: epigastrica proinde vasā ut similiter vi sanguinis maiore, quam satis commode continere & in motum agitare possunt, refarciantur & obruantur, necesse est. At vero quum hortum epigastricorum intima sit, per anastomoses, cum mammariis internis coniunctio; clarissime indidem similiter elucebit, sanguineis succis, per mammarias adiectis, a cruento, in epigastricis moram nestante & restagnante, obicem positum iri: iam vero quum mammariae internae, quarum ultimas propagines sese in extremos ramos epigastricorum exfolvere, supra iam perhibui, suum sanguinem in modo nominatos epigastricorum ductus, ut qui iam vitalibus liquidis cumulati sunt atque inundati, evolvere nequeant, non aliter fieri potest, quam ut illud purpurei liquidi, quod epigastricis vasis transeundis & perlungendis attulerant & destinarant, hoc temporis in illos ramos, qui per mammarum texturam, utpote satis laxam minusque renitentem, disseminati sunt, ingrerant. Hinc nemini mirum videbitur, mammas, quum nunc uberiore sanguinis copia, quam ante, redundant, in molem quoque distendi conspectio rem atque insigniorem.

§. XXI.

Non quidem nescius sum, esse, quibus haec nostra, de mammarum incrementis, tempore gestationis, vel suppressionis mensium, sententia minus probatur; sed hi non satis perpendisse videntur, non

D

ullas

ullas alias, praeter hasce commemoratas, inter mliebria & mammas deprehendi vias, quibus motum communicatio fieri posset. Deinde nec animo se comprehendere posse, ferunt, quemadmodum tam exigua sanguinis copia, quam rami isti mammariae, cum epigastrica connexi, coercent & continent, ad mammae retorta & delata, eas ita inundare valeat, ut inde intumescant tam insigniter & grandescant. Verum nec hic satis expendunt, illam copiam minime tam exiguum esse, quam sibi persuadent; sed omnino tantam, ut suppeditet mammis satis distendendis atque inflandis. Tum neque animo satis sedato considerant, universa, quae mammis incredibili numero intexta conspicuntur, vasa, in lucis usura fruentibus, semper sanguine esse plena & referta, praeferunt in eo aetatis flexu, liberis progignendis etiamnum aptissimo: hinc, etiam si nec ita magna sanguinei liquidi copia ex hisce mammariae ramis ad mammae regurgitaret, ista tamen vitalis liquidi accessio, initio graviditatis, utique abunde sufficiet, videtur mammis tantum expandendis, quantum id, incipiente graviditate, fieri, & convenit, & vulgaris experientiae fide cognoscimus. Quumque mulieres, ventrem ferentes, usitate ac solemniter tamdiu menstruis careant, quamdiu foetum utero gestant; quae, in corpore rerenta, nimiam sanguinis copiam, procedente graviditate, iis in dies necessario cumulent, haud sane obscure vel ex eo cuicunque apparebit, quomodo etiam tunc huius sanguinis, ab epigastricis ad mammarum interiora redundet.

redundantis, hae ipsae participes fiant, quidque causae sit, cur gravidis, augecente in maius foetu & graviditate prospere procedente, mammae quoque sensim pedetentimque usquequaque dilatentur atque intumescant. Tandem quoque vel illud per transennam duntaxat adspexisse videntur, quod tamen haud minimi est momenti ad mammarum, hac tempestate, augmentum pernoscendum: quod harum partium, lacti secernendo dicatarum, multo laxior sit, prae ceteris humani corporis solidis mollieribus, textura, distendentibus liquidis minus renitens. Sunt enim sola cute & subiecta ei pinguedine coniectae, ideoque dilatari faciles, ut propterea minime mirum sit, easdem, si modo paulo plus sanguinis receperint, quam quantum earum sanguiferi canales alioquin capere, & intra sua septa cohibere solent, vel mediocri hac quantitate in tumorem quasi assurgere tendique.

## §. XXII.

Quoniam itaque menstruus sanguis, facta prævia conceptione & ingravidatione, in corpore retentus & pudoris sinu exire impeditus, qui deinde ad epigastrica vasa repulsus, per ea ad laxiorem mammarum compagem redundat, potissimum in causa est, cur in gravidis mammae pedetentim & gradatim increscant, prout ipse foetus toto corpore accreverit, hocque pacto suum conceptaculum sibi ipse dilataverit; ipsum quoque hunc vitalem suctum reliquorum malorum, quae gravidarum mam-

D 2

mis



mis obtингunt, velut doloris istius, quem perfenti-  
scunt, & duritiae illius, quam simul induunt, fontem  
esse & caput, deprehendimus. Quippe doloris ille  
sensus huic liquido, mammarum alveos sanguineos  
inundanti, venit vindicandus, utpote quod mam-  
marum tubulis sanguiferis distendendo vim infert:  
unde fila nervorum, eos comitantium, tendendo  
irritantur inque spasticos motus compelluntur.  
Ipsum quoque lac, quod cum sanguine commix-  
tum, ad mammarum interiora affluit & illabitur, du-  
ctus earum galactophoros, adhuc perquam angu-  
stos atque lacteo latisci impervios, paulatim intran-  
do diducit seu ampliat, ac tibimet ipsum viam ad pa-  
pillas earum sternit; ex qua violenta distensione  
nervis, toto mammarum corpore intextis, vis modo  
maior, modo minor assertur.

### §. XXIII.

Quod vero ad duritiem istam, quae mammis  
tumentibus se semper fere sociam adiungit, attinet,  
eam ab renixu vaforum, nondum satis hiantium &  
perviorum, quem in sanguineos succos, ea dilatare  
& pervadere molientes, expromunt, deducendam  
esse arbitramur. Nec ullius quoque negotii esset,  
ex eodem hoc fonte vel eas mammarum affectiones  
deducere, quae foeminis, quibus menstrua uteri pur-  
gatio, vel praeter modum imminuta, vel omnino  
suppressa fuerit, haud insolenter & raro eveniunt, si  
mihi liceret atque expediret esse longiori. Neque  
multi sudoris esset & laboris indidem quoque ostendere,

dere, quam ob caussam, lochiorum fluxu, vel intermitte, vel succedere desinente, sanguis ab utero ad mammas transeat easque in maiorem molem extollat, quin etiam die ab enixu tertio quartove lacte penu largiori instruat. Quoniam vero horum omnium expedita est & facilis explicatio ex iis, quae haec tenus a nobis in medium prolata sunt; nec mihi vacat esse prolixo, ex hoc campo differendi amplissimo me recipiam, benevolum Lectorem enixe rogaturus, ut hoc, quicquid literarum est, aequi bonique consulat, memet vero ipsum sibi habeat commendatissimum.

## FINIS.

**G**o prangst Du nun im Doctor-Hute,  
Den Du durch Deinen Fleis erlangt.  
Dich front das Glück mit einem Gute,  
Das nie vergeht, nie taumelnd wanckt.  
Dein unermüdetes Bemühen,  
Kan nun die schönsten Früchte ziehen.  
Dein Fleis ist nicht umsonst: Nein, sehr wohl angewand.  
O edles Pfand!

Das Saal-Athen schloß Dir die Schäke  
Der Wissenschaften reichlich auf.  
Des Aesculapens schöne Säke,  
Die unterstützten Deinen Lauf.  
Aus der so edlen Meditrine  
Sogst Du gleich einer muntern Biene  
Die besten Säfte aus. Was trägst Du nun davon?  
Den besten Lohn.

D 3

Den



Den besten Lohn? O welch Vergnügen  
Verschaft nicht Fleis und Wissenschaft?  
Läßt man sein Pfund vergraben liegen,  
Holt eine kummervolle Nacht.  
Du hast die klugste Wahl getroffen,  
Drun triegt Dich nicht, mein Freund, Dein Hoffen.  
Dein Wunsch ist nun erfüllt. Genieße ungestohrt,  
Was Lust vermehrt.

Ich nehme Theil an Deinen Glücke,  
Mein edler Reichart! wehrster Freund  
Entfernt von Falschheit, List und Tücke.  
Mein Herz, Dein Herz sey stets vergnügt,  
So wird Dein Abschied mich zwar schmerzen;  
Doch liebst Du mich von ganzen Herzen,  
So weiß ich ganz gewiß, Du wirfst noch manchen Blick  
Auf mich zurück.

Zur Bewahrung gütiger Freundschaft  
schrieb dieses zur Versicherung seiner  
Hochachtung

Gottfried Dippold Wilhelm von Reibnitz,  
aus Schlesien.

---

**S**ic subito gressum figis REICHARTE? solebas  
Festinus celeres, ut scio, ferre pedes,  
Lassatus nunquam fastigia summa petebas  
Laudis, non metuens ardua mille viae.  
Scilicet in centro res posita quaeque quiescit,  
Te video optata jam residere meta.  
Cerno iam cingi laetis T A tempora lauris,  
Qui bene currebas praemia digna refers.  
Almus Apollo TIBI merito pro iure coronam  
Largitur, laudis templa corrusca patent:

Hic



Hic habita, floresce simul, qui dives honore  
Audis, ne dubita: cuncta secunda fluent.

Hisce Clarissimo Domino Doctorando, Amico  
aestumatisimo, honores, quos publice  
capesit, doctorales congratulatur,  
**CHRISTIAN. GOTTLIEB UCKE,**  
Livonus, Medic. Candidat. Opponens.

---

VIRO  
PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO  
S. P. D.  
IOANNES SIGISMUNDVS SICHELING  
Halensis, Medic. Cand. Opponens.

**H**onor virtutis filia. Verum quod sit hocce assertum,  
unusquisque iterum ex TWO exemplo, praestantissime  
DOMINE CANDIDATE! legere potest. Per omne enim tem-  
pus, quod in alma bacca Fridericana arti salutari sacra-  
sti, tanta usus es industria, ut quisque facile perspexerit,  
TE tales esse futurum, qualem nunc cognoscimus, id est in  
arte salutari experientissimum. Me quoque hac in re, cui  
honor contingit per nonnullos annos TUA amicitia, qua ni-  
bil mibi semper esse potuit optatius, frui, testem habeas non  
solum, sed & singularium TVORVM profectuum admirato-  
rem. Summe dignus itaque accedis ad cathedram, & re-  
cipis quae meruisti privilegia. Impense itaque TIBI gra-  
tulor de summis, quos Hygea bodierna luce in TE confert,  
honoribus doctoralibus, atque ex animo adprecor, sum-  
mum Numen eos TIBI ut fortunet, quo in singularem hono-  
ratissimae Tuae familiae splendorem, misere aegrotantium  
salu-

salutem & Sui ipsius gloriā cedant. Redeas nunc in patriam, & reportes praemia virtutis, me vero sicuti hæc-  
nus, ita & in posterum amore pergas. Vale. Dabam  
Halae d. XIV. April. MDCLIII.

---

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

**IOANNES CHRISTIANVS LISCH,**  
Revalja-Livonus, S.S.Theol. Cult.

Tandem mibi se offert occasio, TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, publicum specimen amoris & amicitiae erga te, bisce paucis exhibendi, acclamationibusque votivis, quae te in publicum prodeuntem comitantur, basce meas adiungendi. Reete, AMICE AESTVMATISSIME, secutus es naturae duellum. Voluntas parentum TVORVM TE discaverat ecclesiae Dei, sed ratio TVA, ex interna conscientia maioris propensionis, ad artem medicam TE impulit, ut, reliquo studio Theologico, TE ad illam converteris, artenque hancce salutarem obiectum TVAE cognitionis elegeris. Et ecce! per assiduam diligentiam TVAM, in cursu Academico exhibitam, in cuius laudes omnino possem excurrere, si modestia TVA permitteret, eo pervenisti, ut hodie laurea decorandus, Cathedram confendas. Meum igitur erga TE officium requirit, hunc diem TIBI notabilem ex animo integro gratulandi, & Deum T.O.M. implorandi, ut omnia TVA conamina in praxi futura felicitet & secundet. Vale.

Dabam Halae d. XIV. April. Anno

MDCLIII.



00 4 6468 (1)



PHYSICO  
PHILOSOPHIC  
VOL.

00  
A

6468



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

**Farbkarte #13**

RTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**R CONNEXIONE  
CVM MAMMIS**

QVAM  
VB AVSPICII SVMMI NVMINIS  
ET  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
RI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
**RE A ELIA BVCHNERO**

RI ROMANI IMPERII NOBILI,  
O PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
ILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO,  
IS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**GRADV DOCTORIS**  
MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
ORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
XVI. APRIL. A. S. R. CIO IOCLIII.  
**MA REGIA FRIDERICIANA**

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**RD WILHELM REICHART**  
LIVONO-RIGENSIS.

LAE MAGDEBURGICAE,  
S CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.